

rido digressi in Gradonicum impetum faciunt, oppidani 1509
egressi hostium tormenta clavis ferreis confixerant, ut eis
uti eo tempore non possent. quibus abeuntibus Portuna-
nenses ad Gradonicum miserunt, seque reipublicæ reddi-
derunt. Ex Benaci autem ripa vallibusque homines quin-
genti sponte, ut reipublicæ opem ferrent, se Patavium
intulerunt: quos Grittus legatus liberaliter appellatos, sti-
pendioque dato Taurisum, cuius agrum hostes depopula-
bantur, earum regionum auxilio statim misit: quo etiam
Maurus legatus cum equitibus mille ea de causa redierat.

Maximiliani vero manus, pluribus ex finibus coactæ,
fugatis in Alpibus reipublicæ copiis primo Castellum no-
vum, deinde Feltriam recuperaverunt, prædaque ingenti
facta atque abducta, oppidum incenderunt. Eo incendio
turris portæ oppidi imminens concidit: qua in turri carmen
solido in lapide legebatur antiquitate mira præditum. is
lapis igne absumptus haud parvo civitatis desiderio interiit.
Carmen erat ejusmodi:

Feltria perpetuo nivium damnata rigori,

Forte mibi posthac non adeunda, vale.

Supra carmen Julii Cæsaris nomen erat inscriptum. Cre-
tensisbus ubi de Gallorum victoria deque defectione oppi-
dorum est allatum, magno ex ea re mœrore affecti, do-
mi se universi plures dies continuerunt: scriptisque ad il-
los a præfecto classis literis, uti vellent ad Cyprum insu-
lam firmandam, ne quis eam vicinorum regum aggredi
audeat, tam afflictis reipublicæ rebus præsto esse, ex se
se libras auri centum sexaginta ad triremes, gripos, reli-
quasque naves armandas, atque in Cyprum celeriter mit-
tendas curaverunt.

Inter has iactationes alternosque fluctus reipublicæ Fran-
ciscus Mantuanorum dux a Maximiliani ducibus stipendio
Veronæ accepto, quod quidem illi a civitate nullo more
perque vim exegerant, cum equitibus sexcentis octavo
iduum sextiliū se se Mantuam referebat. Ea de re Grit-
tus legatus ab amicis reipublicæ antea certior factus, Lu-
cium Bononiensem cum equitibus sexcentis, ex quibus
erant

Maximilia-
nus Fel-
triam re-
cipit
prid. non.
aug.

Cretensium
in Rmp.
liberalitas.

Franciscus
Mantua
Dux capi-
tur a Vene-
tis.